



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

II. Beatam dicunt Reges; quia Regnorum est Præsidium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

verbo & confensu, de carnibus & sanguinibus eius formatu fuerit, & ipsum familiarissime & diutissime tractavit, & in cibum, & potum communicavit, & per hoc nos omnes ad jugum suum suave, & onus leve, charitatem scilicet, ligavit, & ab omnibus penis ac culpis, non solum solutos ostendit, sed etiam absolvit juxta illud Ioan. 6. *Qui manducat carnem meam &c.*

Habet cum Episcopis non solum Clericorum ordinationem, praebendarum collationem, templorum consecrationem, Sacrarum Virginum velationem: Ordinatur enim Episcopus Sacerdotes per Sacramenti collationem, B. Virgo per continentiae obligationem, juxta illud Isai: 52. *Mundamini qui fertis vasa Domini &c.* Habet autem cum Papa omnium Ecclesiarum sollicitudinem, potestatis spiritualis plenitudinem, privilegiorum actuum universitatem. *Alberto totidem fere verbus subscribit S. Antoninus p. 4. tit. 15. c. 16. parag. 2.*

2. Beatam dicunt Reges. Quia Regnorum est Praesidium.

Nos enim Christiani te sola, seu praesidio inexpugnabili fruimur dixit 9. *lan. ode 9. S. Theoph. in Men.* Cui accedit *S. Sabbas 17. Jan. in Vesp.* Prosequimur te laudibus o Deipara tanquam Civitatem inconcussam, tanquam Murum nullis arietibus rumpendum, tanquam infractum Tutamen & Refugium nostrarum animarum. Et rursus *idem qui supra S. Theoph. 1. Jan. ode 5.* Nos qui te tanquam muro abunde munimur, praesidio tuo circumvallati. Et *S. Joan. Damasc. 22. lan. ode 3.* Salve potentissimum Christianorum Munimen. At cum *S. Sabba in Men. 24. Febr.* Tu quae miserum oppressorum statum emendas, quaeque de manibus hostium eripis debiles, custodi o Deipara civitatem, ac populum tanquam Pacorum, qui oppugnantur, & in belli tempestate Tranquillitas vera, & unica, denique Praesidium Christianorum.

Canamus huic Virgini cum *S. Ioseph Confess. in Men. 26. April.* O Virginea Civitas Dei, de quo dicta sunt gloriosa! hanc addictam tibi Civitatem, & omnem ditionem illi connexam, cum ab omnibus periculis, tum a fame praesertim ac barbarorum furore custodi, tanquam unica, & aded certa Tutela fidelium, quae confundi neminem sinat. Alludit ad Constantinopolim quam teste *Zonara lib. 3.* Imperatores Graeci Virgini dedicarunt: uti *Stephanus Rex suam Hungariam, Emanuel Rex Lusitanorum recenter repertas Indias teste Maff. lib. 2. in isto hist.* *Eduardus Rex Angliam, Carolus Magnus primum quod erexit templum Aquis-*
grani

gram in terris acquisitis Virginis fecit, Jacobus primus Rex Arragoniæ expugnavit Valentino regno, Virgini consecravit, clavesque ad Virginem tam regi misit, quam urbis Valentia, Bononiam dedicavit Ludovicus XII. obligando Successores, ut annuatim darent Virgini bis mille aureos, Neapolis huic Virgini sacra Similia sunt de Regno Gallia, Polonia, Belgio. *Maracc. in Cas. Marian. 19.* Ludovicus IV. Imp. angebatur valde, quod coronam Imperialem à Joanne non obtinere non posset, dum petit à S. Virgine solatium, comparuit illi quidam Benedictinus monachus cum imagine B. Virginis, & monito ut templum in honorem S. Virginis Assumptæ ædificaret loco certo, & benè speraret, & tum aperuit fuisse Angelum, progressus Romam Imperator, coronam obtinuit, & postea promissum implevit. Aliud *idem ibidem fol. 40.* de Constantino monacho Orientis Imp. scribit, hic ejectus imperio exulabat in Chio Insula, accerserunt eum quidam Eremitæ causâ solatij, promittendo ei redditum cum honore, pro gratitudine autem exigendo, ut templum B. Virgini ædificaret, vix acquievit, quia nulla spes redditus apparebat, dum tamen acquievit & in signum promissi dedit annulum, haud ita multo post Zoe Imperatrix defuncto viro suo acceptura Constantinum in maritum, honorificentissimam legationem misit, & Constantinopolim reduxit. *S. Germ. Constantinop. orat. 1. de Presentat. Virg.* Orthodoxorum Imperatorum sceptrum, qui te ô Deipara supra omnem purpureum colorem, & omne aurum, & margaritas, & pretiosos lapides, coronam & indumentum, & inamissibile imperij sui ornamentum habent, in pace & quiete regito, malefidas nationes barbaras, quæ te, Deumque ex te natum blasphemij lacerant, pedibus eorum subternito, ac subjcito, exercitui qui semper tuis innititur patrocinij horâ congressus esto Adjutrix. Ipsa Roma 63, templis Virgini dicatis ei tutelam suam commisit.

De Italia *Bozjus lib. 9. cap. 10.* habet. Quod è tyrannide Gothorum erpta fuerit Italia, quod Ariani hæretici ex illa expulsi, Deiparæ debetur. Hispania octoginta millia templorum ut Præsidi Virgini consecravit. *Georg. Nicom. d. orat. de Present. cap. 12.* Christianorum multitudo murum habemus firmissimum, per te fideles Reges arma habent valida, per te consequuntur trophæa victoria. *Hieron. Blanca in Comment. verum Arragonie ad annum 1134.* id refert, Recuperaverant à Mauris Christiani Cæsaraugustam, sed Mauri adverterunt eos victoria factos negligētiore, nec custodias per muros disposuisse, tētârunt itaq; per muros effractos noctu invadere civitatem; tum SSmâ Genitricem MARIAM Cœlesti Angelorum agmine coacervato ipsis infidelibus restitisse, ac nè ubi sibi christianis

missimā potirentur illis se præbuisse Propugnatricem ac Murum, ibi deinde grati-
cives, erexerunt templum Virgini dictum, B. Mariæ del Portillo.

Anno 938. Arabes produxerunt exercitum 150. millia peditum, & equitum
30. millia contra Ramirum 2. Regē Legionis, sed Regi Virgo submisit duos Ange-
los specie militum, quibus pugnantibus Abenain Regulus captus, & 80. millia ho-
stium cecidēre. Testis hujus rei *Sampyrus, & Tudensis, & Morales Chron. Hisp. lib. 14.*
Legitur apud *Maraccium in Antistit. Marianis, pag. 359.* Quod cum Poloniam cum
innumero exercitu oppressurus Turca advolaret, Laurentius Gembicki Archiep.
Gneznensis pro patria sua feruenter exorabat, vidit una nocte S. Virginem è cu-
biculo suo prospiciens in aream lunæ decrefcentibus cornibus insistentem, quæ
illum hunc in modum allocuta. Bono sis animo Laurenti, verè mihi est devota,
nominique meo Polonia, Filius meus ea quæ metuis amoliturus est à vobis mala,
nè tuo eveniant sæculo. Exstat in Ecclesia Cathedrali Vladislaviensi monumen-
tum hujus rei: & Præsul mortuus anno 1624. Febr. 10.

9. Beatam dicunt milites, quia illorum est Robur,
& Auxilium.

Habet *Baron. de Joann. Zemisce Imper: Orientis*, qui conspectis viribus
Bulgarorum lachrymas non tenuit, nec vincendo, nec fugiendo par, obtulit se
tandem Divæ Virgini supplicem. Et ecce eques Divinitus comparet (*credimus
fuisse S. Theodorus à B. Virgine submissus*) in Bulgaros ruit, & Joanni victoriā parat.
Refert Strada, referunt & alij recentiores, in Flandria superiore sæculo, Catholi-
cum militem in elementorum, hostiumque insidijs deprehensum, apud Bomeliam
clausum fames consumebat, rigor hyemis exstinguebat, eluviorum incrementa
submergebant, ubique mors & hostis, quid spei? miseris ipsa Mater & spem au-
xilij, & auxilium affert, miles dum aggerem ante contubernium Emplenti templo
adstrum fodit, inter primos iæus tabulam ejicit, videt in ea coloribus expressam
Dei Genitricem, accurritur à commilitonibus, & ipse Tribunus advolat Bobadilla,
instabat Marianæ Conceptionis pervigilium, illam igitur iconem supplicantium
ritu in templum inferunt, atque inter legionum signa collocatam proni adorant,
precantur salutem, & impetrant: ventus enim nocte sequenti adeò vehemens,
ac præter modum gelidus invaluit, ut aquas quæ circum campos obruerant,
solidaverit, undè hostes qui venerant in navigijs ad expugnandos Hispanos, nè
& ipsorum navigia à glacie in campis caperentur, flectere in Mosam cursum
p
sacri,